



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

II. Affectus ad Immensitatem Dei. Feria II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Confitemini Domino, quoniam in se-
culum misericordia ejus; & laudabilis &
gloriosus & superexaltatus in secula.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto,
&c.

II. Affectus ad Immensitatem Dei.

FERIA II.

I. **O** Deus immense! qui per immensi-
tatem tuam es in omnibus creatis;
sed nunc peculiari ratione es intra me in
augustissimo Sacramento; quâ felicitate
me beas? quo thesauro me ditas? ô ulti-
mum Bonum meum! ô summum Bonum
meum! ô adæquatum Bonum meum! quas
gratias agam? quæ dona pro tanta digna-
tione & beneficentia rependam? suscipe
quidquid sum & valeo, O Divina Immen-
sitas, tu in me manes & ego in te: sum e-
nim in te velut in sede, fundo ac basi me
capiente, sustentante, conservante, & uni-
dique ambiente: quàm securus vivere va-
leo! Ego sum in te velut pupilla in oculo,
aut velut infans in matris utero, cui illa est
domus, lectica, murus, alimentum & om-
nia: quàm lætus & quietus esse debeo!
Tu enim, mi Deus, es domus mea, in
qua

qua vivo, operor, semper commoror, &
nunquam exire valeo: tu es lectus meus
in quo requiesco, extra quem requiem
nullam invenio: tu es lectica mea, quâ
gestor, quocunque mihi est eundum:
tu es murus meus semper me circumdans
& protegens, sine quo securitatem non
habeo. Laudetur sine fine tua erga me
pius quàm paterna & materna Providen-
tia. O Deus magnè & mirabilis, concede
mihi, ut nunquam te offendam & ingra-
tum me exhibeam; sed semper gestem te
intra te per cognitionem, & amorem,
agnoscens bonum, quo me afficis, & a-
mans ob amorem quo me prosequeris.
Intra tuam bonitatem, transforma me
in te; vivo intra tuam charitatem, eâ-
dem me inflamma: intra omnipotentiam
tuam ambulo, illâ me, quæso, adjuva:
siquidem totus sum intra te, transfor-
ma me totum in te, ut non amplius mihi,
sed tibi totus vivam in æternum.

¶ Incomprehensibilis Immensitas
tuæ mei! ego non solùm existo in te, &
ambulo in tua immensitate, uti pisciculus
in immenso mari; verùm etiam tu in me

Q 2

exi-

existis, ceu conditor & conservator; nunc autem per sacram Synaxin singulari ratione es in me, velut Sol in cœlo, ut me illumines; velut oculus in capite, ut me dirigas; velut cor in pectore, ut me vegetes; velut gemma in annulo, ut me exornes; velut Rex in throno, ut me gubernes; velut Paterfamilias in domo, ut mihi provideas. O quàm gaudeo, quòd tantum thesaurum habeam intra me! quàm exulto, quòd habeam in me Patrem, Filium & Spiritum sanctum, cum corpore & anima mei Salvatoris, omnibusque divitiis ejus, quas in me propensissimâ voluntate cupit effundere! Fac me, obsecro, idoneum ad excipiendum, & statim implebitur splendoribus anima mea, totaque illuminabitur, ut cognoscat te; dirigetur ut non erret à te; vegetabitur, ut crescat in te; exornabitur, ut delectet te; gubernabitur, ut serviat tibi; providebitur, ut ei desit nihil.

III. O Deus magne, non magnitudine molis, quæ competit corporibus, sed magnitudine virtutis, quæ omnes excedit spiritus / exsere in me immensam virtu-

tem tuam & miserere mei : miser sum,
 sed habeo intra me immensum Bonum,
 quod me beare potest, & in ærore abster-
 so, & omnibus bonis cœlestibus satiare:
 ah! reple me! in tenebris versor; sed ha-
 beo intra me infinitam lucem, quæ me co-
 piofissimè valet illustrare. Ah! tenebras
 meas discute! frigore & languore torpeo,
 sed intra me vivit ignis infinitus & ardor
 immensus, qui me beatissimè valet accen-
 dere: ô flagrem penitus! tristitiâ obruor,
 sed in me latet gaudium verum, & pela-
 gus lætitiæ immensum, in quod aliquan-
 do totus intrabo: ô quàm id desidero!
 Denique paupertate premor; sed regnum
 Dei est intra me; id est omnis boni, omnis
 pulchri, omnis delectabilis, & desidera-
 bilis plenitudo, parata se in me transfun-
 dere, & sui participem reddere, ô fiat!
 fiat!

III. *Affectus ad Immutabilitatem Dei.*

FERIA III.

O Deus immutabilis! apud te non
 est transmutatio, nec vicissitudi-
 nis obumbratio; quia semper idem ipse es
 & permanes, & anni tui non deficient.

Q 3

Apud